



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 28. Historia de secta Inspiratorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)



Sæc. XVIII. Epistola Parisiis edita atris omnino coloribus depingebatur, ejusque liber in Anglia solide refellebatur.

## §. XXVIII.

*Historia de secta Inspiratorum.*

Jam anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto in Hispania ortum habuit diabolica secta, quæ se *illuminatos* vocabat, & ex Mosinosii commentis aliisque delirantis ingenii somniis conflata erat: Hæc Hispaniæ terris eliminata in Gallias & præcipue in Picardiæ Provinciam transmigravit, ubi tamen circa annum prioris sæculi trigesimum quintum a Ludovico XIII. Rege ad nihilum ferme redacta fuit. Hujus reliquiæ in Anglia, communi omnium sectarum asylo, sedem fixere; mutatoque solo nomen quoque & errores mutarunt; quippe semetipsos nuncupabant *Inspiratos*, eo quod se specialiter a Deo inspiratos, atque ad id præcipue vocatos mentiebantur, ut Regibus, Gentibus & Urbibus extremum denuntiarent excidium, nisi quieto & interno influxu in occultam Dei substantiam penetrarent niterentur: Jactitabant insuper, sibi inditam esse virtutem mortuos post triduum ad vitam revocandi, se esse veros



Sæc. XVIII.  
A. C. 1739.

veros prædestinatos, a Rege Regum  
tanquam ejus Prophetas ad docendum  
populum emissos; fingeant se esse pro-  
phetiæ dono præditos, hocque nomine  
horrendas evomere Blasphemias, &  
varia læsæ phantasiæ commenta rudi-  
culis enthusiasmis, & fanaticis spur-  
citiis commixta in vulgus sparsere. Id  
tamen in hoc malitiæ figmento, nescio  
an magis mirandum, vel miserandum  
erat, quod quamvis eorum insana pe-  
tulantia ac stoliditas manibus palpanda  
esset, nihilominus non modo ex rudi  
plebecula quamplurimos haberent se-  
ctatores, sed etiam honorati, divites-  
que Viri eleemosynis in eorum sustenta-  
tionem liberalissime effusis sese pene ad  
egelitatem redigerent.

Insuper aucto eorum numero etiam  
ineunte hoc sæculo in Germaniam in-  
fausto prorsus sydere penetrarunt, cum-  
que apud Catholicos recipi despera-  
rent, ad Isenburgenses Calvinistas con-  
fugerunt, ac propterea sese Fratres  
*Isenburgenses* appellitarunt. Inde vero  
se in plures alias Urbes diffuderunt,  
sub Magistro suo Joanne Friderico Rock  
Ehippiario, qui se jam a viginti retro  
annis spiritu inspirationis afflatum men-  
titus, plures libros fanaticis deliriis  
turgidos edidit, & unacum suo fratre  
aliisque affectis hoc anno die decima  
*Hist. Eccles. Tom. LXXVI. li sexta*



Sæc. XVIII.  
A. C. 1739.

fexta Januarii Himbachium pervenit, ubi cum Fratribus, in quos Bipontii, Meiffenheimii & alibi pœnarum severitate animadversum erat, consultabat, atque in deliberationem adducebat, an vexatos hos fratres Homburgum vel Neowidum transplantare consultum foret: Porro hujus Enthusiastæ petulantia in factis & verbis ad horrorem usque excrevit: nil enim familiarius habuit, quam blasphemis his uti verbis: *repente in commotione spiritus hoc Dei verbum & testimonium ad me: Deus per me loquitur: hæc locutus est Dominus &c. Ego sum supremus & Altissimus, Ego sum, qui erat & erit, testimonium meum est verbum per se subsistens, Verbum semetipsum pronuntians &c. ex sensibus ex-eundum in interiora, connitendum ad internam & tranquillam devotionem, passionem & attentionem, amplectendam esse charitatis abyssum, moxque pacatos afflatus subsequituros, &c.* hæc pluraque alia deliramenta, cunctaque inter se gesta hi fanatici collegerunt, typisque publicis vulgarunt, unacum epistolis, quas Comes Sinzendorffius, omnium Fanaticorum atque Heernhutensium Patronus & Calisa longe celeberrimus, ad Rockium, Neumannum aliosque hujus furfuris homunciones perscripserat, atque eos ad suam novam Societatem invita-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1739.

vitaverat, & quidem tam humanis ver-  
bis, ut etiam ab eo nonnisi in secunda  
Persona salutari peteret, huncque Ehip-  
piarium, ut recens natæ suæ Filiae Pa-  
trinum agere dignaretur, rogaret; at-  
tamen repulsam tulit, caussa te hoc  
Propheta, se aquæ Baptismum flocci  
habere, nihilominus Comes Rockium  
suosque ad novam Heernhutanam Ec-  
clesiam recepit, & habito frequenti li-  
terarum commercio eidem sæpius con-  
tactatus est, quod ipsum tenerrimo af-  
fectu prosequeretur, ipsius gratia frui  
anhellaret, millies ac millies ipsius dex-  
teram deoscularetur, ipsumque tan-  
quam pretiosum gratiæ vas coleret, ac  
denique eum tanquam Con-Senio-  
rem habere desideraret: Attamen gra-  
tiosis hisce S. R. J. Comitibus invita-  
tionibus ruditer respondit sordidus hic  
Ehippiarius, se pro oblata dignitate  
grates habere; nimis enim cor suum  
molle ac tenerum esse, ut castigatoris  
munus obiret: Nec tamen inde offen-  
sus Comes, ipsum ejusque Fratres in  
novam suam sectam cooptatos fuisse,  
summopere gloriabatur, datisque ad  
eum literis compellabat: *suum ex in-  
timo corde dilectissimum Fratrem, fidelem  
Domini Salvatoris Socium, & charissi-  
mum suum Fratrem, cui omnibusque ejus  
Fratribus & Sororibus manus & pedes de-*  
li 2 oscu-



Sæc. XVIII. *oscularetur, minimus ejus Frater Sincerus*  
 A. C. 1739 *dorffius: Postea Comes Herrnhutanum*  
 institutum, liturgiam, Baptismum  
 Cœnam, confessionem & absolutionem  
 in alia epistola propugnans, inter alia  
 ad suum Rockium scripsit: *Nos Lutherani,*  
*Calvinistæ, & nescio, quinam adhuc alii*  
*Christiani hic morentur, nos omnes ex corde*  
*profitemur, quod hic panis verum Corpus*  
*Christi &c.* Vicissim inspirati fraternam  
 epistolam ad Herrnhutanos transmisere,  
 hosque suos Fratres & Sorores, necnon  
 dilectum gregem Sociorum illius, qui animas  
 nostras diligenti appellabant, certosque  
 reddebant, quod eorum Societas illos in  
 cordis centro retineat, eisque gratulatur,  
 quod Deus ad eos miserit dignissimos  
 Viros Dippelium & Carlum, quos  
 speciatim venerarentur, eosque in Christo  
 deoscularentur. Ipsi quoque Rockius  
 unacum Neumanno & Neunio die  
 duodecima Augusti ex Augustana Urbe  
 evocatus, Herrnhutum profectus est,  
 ubi in primo suo concilio libulo  
 Herrnhutanos ita alloquebatur: *Id vobis*  
*declaro (inquit æterna charitas) rem adhuc*  
*nimis lento & tepido pede procedere,*  
*intimius ac profundius in substantialem*  
*abyssum penetrare debetis.* Hanc  
 correptionem Comes venerabunda sub-  
 missione excepit, contestatus, hoc in-  
 spirationis verbum esse instructionem  
 Divi-



Divinam per ministerium Angelorum Sæc. XVIII.  
eis denuntiata, proin omnino reci- A. C. 1739.  
piendam. Habebantur plures ejusmodi  
conventus, in quibus præcipue Rockius  
verba fecit. proxima autem die Domi-  
nica Herrnhutus Præco nomine Ro-  
thenus, cum Ephippiarii eloquentiam  
suz auctoritati nocivam fore pertime-  
sceret, Concione habita eidem in non  
paucis articulis adversabatur, mox au-  
tem altera die Rockius in æmulum suum  
horrendas imprecationes effudit, soli-  
tisque verborum præstigiis Auditorum  
animos in se solum convertit. Paulo-  
post Comes cunctos hos fanaticos lauto  
exceptit convivio, quo absoluto crate-  
rem vino plenum afferri jussit, & in fra-  
trum sanitatem his verbis bibit, *ad no-  
vam & æternam societatem, in amore  
Christi Jesu,* quibus dictis Rockius in-  
terrogabat omnes, utrum cum eis per-  
petuo fædere juncti vivere & mori vel-  
lent? dum Comes affirmando omnium  
nomine respondet, Rockius craterem  
ebibit, ac vehementi inspirationis spi-  
ritu correptus declamabat contra super-  
fluos ritus, externos strepitus, inanes  
imagines, aliasque externas Herrnhu-  
tanorum actiones &c. Nihilominus  
Comes suis expensis sordidos hos fra-  
tres Lipsiam usque curribus deduci cu-  
ravit. Horum demum absentia fatuus



Sæc. XVIII.  
A.C. 1739.

hujus amicitiae ardor plurimum refriguit; primus enim Comes data ad Neumannum epistola in Inspiratis plurimum carpebat: Rockius vero vices repentinus, non pauca prorsus absurda Comitum exprobrabat, ac velut spiritu Dei actus Herrnhutos depingebat ceu homines, qui non nisi paleas seminarent, execratum essent: Babylon, cum Hypocritarum mercedem habentes, & qui contra Babylonis Cænam, Ecclesias, Altaria, Baptismos &c. testimonium ferre non possent, ac propterea de eis dictum: *ne commisceamini cum illis* &c. Hæc prima erant inter nobile hoc Par Fratrum dissensionum semina, quæ postmodum in propudiosum calumniarum incendium erupere; cum enim Comes Mariaborni in ædibus Neumanni, qui cum Rockio collidebatur, diverteret, & hunc nequidem ad suum alloquium admitteret, econtrario autem ad iteratas Inspiratorum literas ad ipsius invidiam sedulo responderet; inde plurimum exacerbatus Rockius, datis ad Comitum literis eidem suam ambitionem, qua in Württembergensi Ducatu Præposituram prensabat, durioribus verbis exprobravit, & Herrnhutos tanquam abortivos, generationem adulteram, calumniatores, legis transgressores, veripelles &c. eorumque Conventus Sathanæ



thanæ Scholam appellavit, vicissim & Herrnhutani Inspiratis exprobrabant, quod sectæ suæ Magistros eo ipso tempore selegerint, quo carnalibus spurcitiis palam vacasse deprehensi fuissent, quodque horrendis convulsionibus, corporis gesticulationibus, ridiculis agitationibus & vultus contorsionibus Verbo Divino palam contrariis populum seducerent, aurum ex crumena pollicerent &c. denique tam hi quam illi non sine æterna eorum confusione ac contumelia fateri cogebantur, se mutuis dolis, fallaciis & mendaciis fuisse deceptos, turpiter illusos & ab omni vanitatis vento sæde circumactos fuisse. Sub idem quoque tempus paris ferme furfuris secta in Orientali Frisia viguit, cujus Auctor erat Henricus Jansen rusticus, qui ex Lutherano in Calvinistam, & demum in Fanaticum somniatorem & Blasphemum Impostorem degeneravit. Hic trinas in Deo Personas, Divinitatem in Christo, & divinum esse in Spiritu sancto pernegabat, mundum vero ab æterno conditum, homines probos esse Angelos, malos autem dæmones, nec hominem, sed Deum per hominem peccare, & alia sexcenta prorsus impia somniabat deliria, & nihilominus postquam etiam ab Emdano Magistratu exulare jussus esset, plusquam

Sæc. XVIII.  
A.C. 1739.



Sæc. XVIII. quam nongentos numerabat suæ de  
 A. C. 1739. mentis Sectatores, qui sese *libertini*  
 vocitabant, & blasphema Parentis sui  
 dogmata impune propugabant. Tales  
 nempe fructus progerminavit sæcundi  
 novæ reformationis arbor, ex cujus  
 radice pullularunt dignissimi rami alte-  
 rius novæ Societatis, quæ, dum illam  
 Principes publicis atque severissimis  
 edictis novissime eradicare molieban-  
 tur, has poenas non in suos Socios, sed  
 in Illuminatos, seu Inspiratos fuisse vi-  
 bratas spargebat: cum autem in illis  
 terris nequidem fanaticæ hujus sectæ  
 umbra exstet, ridiculum hoc malæ  
 causæ & conscientiæ effugium non sine  
 ludibrio exceptum creditumque est.  
 quod novæ hujus Societatis Alumni  
 forte ideo publicæ severitatis tela a se  
 in Inspiratos retorquere voluerint, eo  
 quod hi eos quodammodo in suis som-  
 niis & deliriis ad invidiam superarint.  
 Attamen (ipsorum pace dictum sit) &  
 hi in fingendi, delirandi & somnandi  
 arte ipsis proxime accedere videntur.  
 consulatur, quæso, anno primum hu-  
 jus sæculi quadragesimo primo Franco-  
 fordix Andræanis literis excusus no-  
 vus Constitutionum Codex pro veteri  
 ac veneranda Liberorum Murariorum  
 Societate, ubi auctore Joanne Ander-  
 sono hujus sectæ origo a prima hujus  
 mundi



mundi fabrica repetitur, & antiqua  
 murandi ars a Gothis destructa demum  
 in Italia recens resuscitata fingitur,  
 Nemrodus primus Ordinis in Italia Ma-  
 gister, ejus vero Successores Salomon,  
 Cyrus, Seleneus, Augustus Cæsar us-  
 que ad Gothicam devastationem de-  
 nominantur &c. Taceo præ nausea, re-  
 ferre cetera commenta de eorum sta-  
 tutis tam novis quam antiquis, de eo-  
 rum eleemosynis, de eorum officiis &c.  
 aliisque ridiculis næniis, quas ab ho-  
 nesto, ne dicam, prudenti Viro adoptari  
 posse, vix credibile videtur, & tamen  
 eodem anno hic idem Codex seu verius  
 fabula & somnium a Michaelae Bloch-  
 berger Lipsiæ synoptice recusum pro-  
 diit; sed quid aliud inde colligi potest,  
 quam sub nova hac societate notivum,  
 quod manifestare nolunt, latere my-  
 sterium; forte prima ad universalem  
 Monarchiam fundamenta jacere mo-  
 liuntur? forte ideo supremis suis Ma-  
 gistris parem cum Salomone, Julio Cæ-  
 sare, & potentissimis Regibus ac Prin-  
 cipibus potestatem nullis limitibus cir-  
 cumscriptam attribuunt, eis leges con-  
 dendi, monetas cudendi, ad honores  
 & dignitates a Regibus & Principibus  
 nomine duntaxat, non autem amplitu-  
 dine distinctas evehendi jus potestatem-  
 que vindicant? Quis non merito suspi-  
 cetur,

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1739.



Sæc. XVIII. cetur, illos tantummodo eo fine eleemosynas distribuere, ut famelicos Nobiles & plebem ad suas pertrahant partes, eorumque numerus ad tantas excrescat vires, ut ipsos etiam Reges ac Principes e folio deturbare possent. Gloriantur, quod jam Principum, Nobilium, Procerum, Aulæ Ministrorum quamplurimos, aliosque dignitate & auctoritate potentissimos sectæ suæ Albo adscriptos, ac indissolubilis juramenti nexu colligatos numerent (\*). Si ita est, nonne per eos late apertam habent januam, stratamque viam ad Regni arcana, publica pacis, bellique negotia, archivia, Statuum Regimen &c. quid pronius, quam ut hujus subsidiis ausi in suis privatis conventibus & colloquiis super Statuum ac Principum ruinas magnum Monarchiæ suæ ædificium potentes hi Murarii erigant, de Principe sibi minus propenso, si id Societatis incolumitas deposcit, de medio tollendo, de Regno in Regnum transfer-

(\*) Viguit jam Sæculo XIV. præcipue in Burgundia excellens Societas, quæ ab *insana Matre*, (La folle Mere) nomen adoptabat, cujus quoque Sodales, id est insani Filii multos Magnates & Principes (nec id mirum; stultorum enim infinitus est numerus) aggregatos esse gloriabantur. Vid. mem. a l'Hist. Fete de Foux par M. Tillot,



ferendo, extirpanda hæreditaria sobole Sæc. XVIII.  
&c. deliberent &c. ac demum Chri- A. C. 1739.  
stianam Religionem, quæ sola tot ma-  
lis impune perpetrandis obicem ponit,  
vilipensis, emunctis, oppressis, ejectionis-  
que Pastoribus sensim eradicare adla-  
borent? Utinam vani hi essent timores.

## §. XXIX.

*Historicum Specimen de Incertitudine  
vocationis divinæ Prædicantium.*

Nil in vera Christi Ecclesia certius,  
magisque exploratum est, nisi  
quod nullus sibi sumat honorem sacri  
Ministerii, nisi qui sit a Deo vocatus;  
ipse enim Christus non semetipsum  
clarificavit, ut fieret Pontifex atque sacri-  
ficium offerret pro populo; omnis  
quippe Pontifex assumptus quidem est  
ex hominibus, & pro hominibus; non  
autem ab hominibus, sed a Spiritu  
sancto, qui posuit Episcopos regere Ec-  
clesiam Dei, & constituere illos in iis,  
quæ sunt ad Deum, ut offerrent dona  
& sacrificia pro peccatis. Necessè est  
igitur, ut omnes, qui veri veræ Ec-  
clesiæ sunt Sacerdotes, ab Episcopis  
per Spiritum sanctum constitutis vo-  
cati ac missi sint; sicut D. Paulus ex  
institutione Christi Titum Cretæ reliquit,  
*ut constituat per Civitates Presbyteros ut au-*  
*tem*